

Q. D. B. V.
AK. 230. 39 SERENISSIMI
PATRIS PATRIA
SOLENNIA NATALIA

Y b
1747

sub fine m lustrationis

ILLVSTRIS GYMNASII GOTHANI
piis votis prosecuturi, dicturique

DE

RE BIBLIOTHECARIA,
CHRISTIANVS RVDOLPHVS HEYDENREICH,

GOTHANVS,

GEORGIVS HEINRICVS FRATZSCHER,
ERFVRTENSIS,

CHRISTOPHOR. GVILIELMVS de CACHEDENIER,
ROEMHILDANVS,

CLASSIS SELECTÆ SUPREMI ORDINIS ALVMNI,
vt a frequenti panegyri, ex omni litteratorum ordine,
in auditorio CLASSIS PRIMÆ crastino die congreganda, audiantur,
submisse, & obseruantissime rogat, & simul exhibet

PRINCIPALIS BENEFICENTIÆ DOCUMENTI
SINGVLARIS,

AVCTÆ BIBLIOTECÆ ILLVSTRIS GYMNASII
HISTORIAM

RECTOR,

GOTHOFREDVS VOCKERODT.

P.P. GOTHAE XII. AVGUSTI CI 10CCXIV.
LITTERIS REYHERIANIS.



I. Quam opportuna sit publicis magistris principalis cura de bibliothecis scholasticis constituendis? II. hac SERENISSIMO FRIDERICO relata a maioribus: Augustiniani canobii, & bibliotheca eius conditio pristina: occasio comparandi in Germania codices post Hrabani, Abbatis Fuldensis, tempora: libri vetusti, & primi typis impressi in bibliothecas patrias collecti. III. Augustiniana, & scholastica bibliotheca pristina digesta. IV. Causa, cur dissipati fuerint codices vetusti, nec non recentiores. V. Nona scholastica bibliotheca condenda autem, & ferox paulo post deferuerens quas ob causas? illius conditio incipiente FRIDERICIANO PRINCIPATU: VI. incrementa ex legato Hessino, ex bibliotheca palatina, & huius exemplis librorum multiplicatis post accessiones Fergianas, Thumshirianas, Feuerkingianas: VII. GYMNASII census, quo Breithauptiana bibliotheca, & noui codices redimuntur.

I.



Llucescensem auspiciatissime sub VIII. Augusti NATALIS DOMINICVM desideratissimum omni pietate, & quam concipi potest, impensa gratulatione excipere non cogit solum officium, quo SERENISSIMO PATRIÆ PATRI, FRIDERICO, DVCI SAXONIÆ, IVLIAE, CLIVIAE, ET MONTIVM, & reliqua, ILLVSTRIS GYMNASII GOTHANI præceptores, & discipuli obligatos se sentiunt; sed hoc ipsum etiam officium prouocat, stimulatque PRINCIPALIS gratia nouum subinde documentum. Evidem quot retro dies natales DOMINICOS numero, qui nunc vnum & viginti annos rem hic tracto scholasticam, sub auspicio FRIDERICIANI imperii huc vocatus: toties recordor, non publicæ modo felicitatis incrementis nouis recreatam patriam, & ornatam illustrius; sed ILLVSTRE etiam GYMNASIVM profecta a PRINCIPALI gratia, prouidentia, & beneficentia nouorum commodorum, & opportunitatum accessione ita auctum, & illustratum, vt semper cum redeunte luce DOMINICA latius effluerit. Quid huius sola BIBLIOTHECA tam paternæ indulgentiæ, BONOQUE PRINCIPE dignæ in pia, & rectiora studia voluntati debeat, intelligetur, si commemorauero, quicquid librorum in publicum usum superioribus temporibus fuerit comparatum, & BIBLIOTHECA SCHOLASTICÆ nomine sub SERENISSIMI PATRIS PATRIÆ regiminis exordia potuerit ostendi, & quis nunc sit isto nomine SERENISSIMO FRIDERICO imperante collectorum librorum apparatus? vel vt paucis dicam, si ILLVSTRIS GYMNASII BIBLIOTHECA confecero historiam. Ex hac patet, qui incipiente SERENISSIMI FRIDERICI nostri principatu inuentus fuit, librorum numerum, publicæ bibliothecæ speciem nullam habentem, ita exiguo hoc annorum interuallo auctum esse, & multiplicatum optimorum omnis generis codicum accessione, vt nunc demum scholasticæ bibliothecæ formam publicus noster apparatus litterarius natus esse videatur; atque hoc pacto effectum, & prouisum, vt ludi huius ILLVSTRIS magistri opus non habeant patrimonia sua in supellectilem litterariam profundere, nec locus amplius sit querelis, quales Christophori Wineri verbis conceptas in Andreæ Wilkii funere recitauit huius successor, Ioannes Weitzius. (a)

(a) Vita Io. Wilckii inter Suadæ Gothanæ prolegomena.

Ira, odium, inuidia, & liuor, contentio pugnæ,

Nilque nisi in vacua bibliotheca domo:

Ære crumena carens, perpaucā, aut gratia nulla,

Grandia magnifici lucra magisterii.

Neque enim litteratorum rei familiarī melius consili potest, quam si, quibus opus habent, præsidia litteraria publ'ce iis suppeditentur. Laudata est anno superiore SERENISS:MI PATRIS PATRIÆ inuisitata liberalitas, quam in constitutis accessionibus stipendiorum scholasticorum ostendit. Eodem nomine laudanda mihi videtur PRINCIPALIS illa prouidentia, qua scholastica bibliotheca ornatur. Quoties huic contingit accessio, toties augeri magistrorum, certe posteriorum, stipendia, non temere affirmauero.

II. Mireris, in tanto maiorum studio, & cura de re scholastica ornanda non dudum huius rei habitam fuisse rationem; sed gloriā isto pacto bene merendi de litteris, & posteris a FRIDERICIS superioribus, IOANNIBVS, CASIMIRIS, ERNESTIS nostro SERENISSIMO FRIDERICICO esse relictam. Fuit sine dubio in cœnobio Augustiniano, cum schola Myconii, pii præfusilis, studio, & Monneri, primi rectoris, opera in istud introduceretur, non exiguum litterariorum supplēctilis, vetustioris etiam, & MSæ, apparatus. Floruit a medio seculo decimo tertio hic fratrum religiosorum conuentus pietatis non modo; sed & eruditio- nis laude, habuitque scriptis clarum, insignem illum Henricum de Frimaria: quem ingenii, doctrinæque celebritas non passa est in vltimis his Thuringiæ finibus latere; sed causa fuit, cur inter Parisiensis scholæ professores cooptare- tur. Quibus studiis, moribusque cum meruissent Augustiniani Gothani, vt non a summo modo Moguntino præfule; sed & aliis Germaniæ episcopis facultas dispensandi indulgentias ipsis tribueretur, multorum vicinorum, externorumque ad se conuerterunt, & suorum meritorum celebritate inuitarunt frequen- tem ad sua claustra concursum; atque hoc pacto res suas egregie amplisicarunt. Hunc autem mercatum vt rite ornarent, litterarum cultu pro temporum, & studiorum indeole non vulgari habebant opus; atque adeo non defuit illis unquam eruditus lector, primo interdum loco, vt ex annalibus intelligimus, inter fratres habitus, & PRIORIS dignitate ornatus: nec deesse potuerunt monumen- ta litteraria, legendi materia. Facilis erat talium copia. Diu ante hac tem- pora eruditii omnis generis codices in his Germaniæ partibus vulgati erant. Fuldensium monachorum; quamdiu integra disciplina vñi, & Hrabani Mauri instituta secuti sunt, opus erat non vltimum codices describere, & expolire. Christophorus Brouerus (b) vetustis in membranis inuenito documento ostendit, dictante, & ordinante Hrabano alias spargendis in membraneas paginas apicum, & diuersi generis characterum notis; alias operantis inuolendo, vel claudendo codices: alias minio, & rubrica signando illustrasse. Antiquariorum, & amanuensium museo, quod scri- ptiorum maiores dixerunt, certo nempe Fulda loeo, in secessu, Albinum Flac- cum hos inscripsisse versiculos, idem affirmat:

Hic

(b) Ann. Fuld. lib. I. c. 11.



Hic sedeant sacræ scribentis famina legis,

Nec non sanctorum dicta sacrata patrum &c.

Quantus litterariorum monumentorum numerus ante inuentam artem typographicam, breui tempore hac ratione confici, & edi potuerit, præsertim cum, teste Trithemio (c), supra ducentos septuaginta monachi, pro magna parte in scripturis doctissimi, in isto monasterio viuerent; ac quam late vulgatum sit hoc discendi, ac scribendi exemplum, facilis est conjectura. Istud confirmat idem Trithemius, (d) scribens: *Feruor eo tempore incredibilis fuit monachorum: sanctorum studium scripturarum, quod per sanctum Hrabanum Fulda capi, breui per omnia pene cœnobia Germanie, & Gallie convaluit.* Et paullo post: *Ad multos annos durauit in cœnobiosis monachorum istud mirabile studium scripturarum.* Et quanquam idem testatur, tractu temporum, multiplicatis variis i[n]stitutis clausuralium, studium a monachis tepeſcere cœpisse: tot tamen libri feruente litterarum adhuc studio scripti, publicatiique sunt, vt eorum exempla in his regionibus rara esse non potuerint. Quo pacto typographica opera exscripti codices priores, notaque melioris, Venetiis accersiti, & in hanc urbem, & vicina cœnobia, maxime Georgiothalense, illati fint, ex Mutiani epistolis alibi (e) ostendi. Credibile igitur est, Augustinianorum Gothanorum cœnobium abundasse & typis, & scriptis manu libris; ac his scrinia saltem occupata, si, quod annales testantur, ad otia subinde declinantum, & genio indulgentium monachorum minus occuparent manus, & ingenia. Ac fortassis, quicquid in æde cathedrali superfuit codicum veterum, cum sacra suppellectile, quam, cum illa arcis munienda cauſa deſtruenda eſſet, Augustinianorum cœnobio illatam eſſe, Myconius (f) ſcribit, & hic feruatum eſt. Relictam certe a monachis huius cœnobii bibliothecam, eiusque catalogum parieti affixum luisse, diserte testatur (g) Andreas Wilckius.

III. Huius autem non minus antiquariae supelleſtilis reliquias, quam vicinorum cœnobiorum, Georgiothalensis, & Reinhartsbornensis, studioſe ex recens constitutis typographiis collectos codices: quod ex pluribus Mutiani epistolis intelligipoteſt: fruſtran nunc requiri, res admiratione digna eſt. Nec temporis iniuria, nec incuria hominum, ad quos eius rei cura, & Gothanæ saltem rei litterariae custodia pertinebat, iure accusari posſe videtur. Nulla publica clades vetustos illos codices in Augustinianorum Gothanorum adytiſ extinxit. Nec bellis vñquam interiora omnia huius urbis ita haufit, vt harpyis Martiis nec desiderata adeo supelleſtiliteraria periclitaretur: nec flamma, per reliqua compita Gothanorum subinde ſauiens, hunc urbis angulum, vbi ædes Augustiniana, & ſchola eſt, vastauit vñquam. A Monnero ad Wilckium non fuit ſchola rector tam parum de ſparta ſua ornanda ſolicitus, vt ad recte obeundum huius generis munus præcipue necessaria præſidia abiiceret, & negligere, vel ſciens, & volens piceatis permetteret contrectanda manibus, homini-

bus.

(c) Chron. Hirſang. ad an. DCCCXXXIX. (d) Vita Hrabanij. (e) Gotha, litterata, (f) Chron. MS, ad an. 1530. (g) ſuada Goth. or. XXXVII.

būsque vulturiis, siue togatis, siue sagatis, relinquere diripienda. **Schipperus**,
Merula, Sussenbach, Lindemannus, Schmidius, Meierus, Dinckelius, Helderus,
siannalibus fides est, omnes ad hanc functionem prouidentissime delecti, &
Etiorum studiorum fautores, bonique moris autores, rei litterariae augendae, &
prouehenda magis, quam distrahenda studiosi fuissent ipsi; nec passi essent per
alios intercipi, & subduci sibi discendi docendique instrumenta tam opportu-
na. Quid factum tamen sit, horum successor Wilkius non dissimulat: *Rapti*,
scribit. (b), cod. ces adeo sunt, ut vix unum, & alterum fecerint reliquum sacrilegi. Hoc
confirmat, & illustrat, quod Fridericus Felderus, praefecturæ Gothanæ admi-
nistrator, ad patriæ tunc patrem, **CASIMIRVM**, Coburgum scribit (i) xxv.
FEBR. MDXCIX teste, quem citat, Catalogo scholasticæ bibliothecæ, scriptæ ma-
nu Christophori Wineri, poetæ satis celebris, plebani tunc Sundhusani, an-
tea præceptoris huius scholæ secundi, repræsentans, quam egregius in bibli-
oteca illustris schola litterariorum monumentorum fuerit apparatus, ac quam
nefarie direptus, & distraet fuerit? & non obscure designans sacrilegii autores.

IV. Breui illo tempore tractu toties mandata nouis magistris scholæ admi-
nistratio, ac, vt fieri solet, crebrior muneris istius vacatio successionibus in-
terposita, temporum asperitates, belli incommoda, metus, casus, ecclie-
siasticæ etiam rei perturbatio, inimica omnia rei litteraria: contemtus codi-
cum vetustiorum, qui post mutata sacra, & depulsam a liberalium artium stu-
diis barbariem tam fordebat præ nouis, & cultioribus, quam nunc propter
temporum, & litterarum historiam requiruntur; nec non recentiorum libro-
rum desideria acriora, quo minus eorum tunc vulgo copia fuit, atque hos ex
publico apparatu ad priuatos usus expetentium multitudo, & autoritas facile
fraudi esse potuerunt publicæ Gymnasiæ bibliothecæ, & cauissæ, cur non recen-
tiores minus, quam vetusti codices temere distraherentur. Propter has cauissas
sicut passim, ita & hic non Gothana solum; sed Georgiothalensis etiam, & Rein-
hartsbornensis supellex antiquaria sine dubio non amplius reperitur. Vetusti
codices abiecti in tabernas institutorum, vt essent thuris, piperisque cuculli; vel
si qui in membrana descripti fuerunt, traditi in librarias officinas ad vestiendos
codices nouos. Quicquid recentiorum codicum in publicis illis bibliothecis
repertum est, temporum illorum iniuitate, dum & publicus status subinde
mutatur, & incerta sunt dominia, & patrocinia, in talium hominum manus
peruenit, quibus potentibus dare fuit officium, retinentibus extorquere iniu-
ria fuisse.

V. Noluit ergo Wilkius deplorandæ rei amissæ magis, vel lite intenta-
ta repetendæ intentus esse, quam reparandæ: quod huic rectori non fuit dif-
ficile

(b) I., (i) Desgleichen und hierüber bezeuget gelegtes Inventarium, so des gewesenen Pfarrers von Sondbauern,
Magistri Christopheri Wineri Hand, was vor ein seiner Vorwahl in der Liberey vorhanden gewesen; aber bis-
hero distrahit, und daraus ganzlich verrückt, deren einsichts, wie die Sage geht, unser privat-Personen
noch möchte zu befinden seyn. Und dieselbenn denn dieses der Fundation, so wohl Schulen, und Jugend, auch
zum Abbruch unterstanden, so nicht wohl Ansehen gehalten; sondern mehr geschmälert, und verwüstet
heisset,

scile. Conuersi erant ad viri studia, merita, successumque operarum scholasticarum CASIMIRIANÆ AVLÆ PROCERES, huiusque urbis, & regionis honestiores ciues non pauci, quorum fauore, & autoritate, liberalitate, & suffragatione consecutus est, ut CASIMIRIANIS auspiciis schola haec illustris amplificanda noua etiam bibliotheca augeretur, & ornaretur. Vrgenti hoc Wilkio annuerunt viri boni, & summi, atque, sicut in actorum ephemeride (*k*) notatur, certo die promiserunt, & data dextra, fidei pignore, confirmarunt, quid quisque ante certum, & diserte condicatum tempus pro liberalitate sua ad condendam nouam bibliothecam esset collaturus; ac adeo fidem inuicem obligarunt, vt si quis fato inopinato esset oppressus, ab haeredib⁹ præstaretur, quod quisque promisisset. Quod cum, vt in piis causis solet, fieret segnus, accessit ipsius CASIMIRI (*l*) mandatum, editum COBVRG I. IX. DEC. MDCXVI. scriptumque ad præfetūrā Gothanæ administratorem, Kohlhansem; quo ad soluenda promissa adigebantur, quotquot tunc fuerunt superstites. Præter memorata in actis nomina Schererī, Heuscherī, Ringlebii, Gottsarti, Felderi, Mollii a Wilckio laudantur (*m*) plures, quorum liberalitas in condenda noua bibliotheca scholastica est spectata, ipse SERENIS. SAXON. PROELECTOR, FRIDERICVS GVLIELMVS, & frater, IOANNES, Georgius Schneiderus, Bernardus de Wangenheim, Iselzo Otto de Kerslingeroada, Conradus Rittershusius, Fridericus Helbachius, Ioannes Mattenbergius, & ciuis quidam Gothanus, Melchior Schmidt. Quos bonus hic vir donauit codices, accurate in actis notati sunt cum tempore, quo bibliothecæ sunt illati, videlicet MDCIV. IUN. XXII. Catalogus testium veritatis in 4. vol. 2. MDCVII. Bisciolæ epitome annalium Baronii in 4. Osiandri epitome historiæ ecclesiastica in 4. vol. 2. MDCVI. Opera Augustini edit. Froben. fol. vol. 2. MDCVII. Opera Chrysostomi Gr. Lat. edit. Comelin. fol. vol. 3. MDCVIII. Baronii Annales. fol. edit. Colon. vol. XII. Feruebat itaque incipiente seculo decimo septimo industria in bibliotheca publica colligenda, studiumq; Wilckii a viris bonis latis liberaliter adiutum est; sed paullo post deserbuisse prorsus videtur. Certe sub eiusdem seculi finem, anno nimirum supra millesimum sexcentesimum nonagesimum quartto, & incipiente SERENISSIMI FRIDERICI, PATRIS PATRIÆ nostri clementissimi,

(*k*) Sonntags den X. Octobr. Anno Christi MD XCVI. haben hernach verzeichnete Personen aus Christlicher wohlmeinlicher Andacht, und zukünftigem guten Angedencken dem Rektori der läbl. Fürsten-Schulen zu Gotha, damals Magistro Andreo Wilkio, mit handgebender Treu bewillget, und zugesaget, denselben Schul zu Besförderung, und fruchtbarlem Anfange einer beständigen Bibliothec etliche sonderbare Büchera und Opera zu verschaffen, und dazugehöriger massen einbinden zu lassen. Solchem Christlichen, und ehrlichen Gelübniß soll innerhalb einem Viertel Jahr Vollgeschehen. Wo aber einer, oder der andere (welches doch, ob Gott will, nicht geschehen soll) daran feuimg, oder hinlänglich seyn würde, sollen die andern Macht haben, den, oder dieselben, auch ihre Erben dazu durch gebührliche Mittel anzuhalten, und zu bringen Et. Als nemlichen der Cantzler, D. Volckmar Scherer, die Bücher Lutheri, Lateinisch und Teutsch, gebunden Ein Opus gebunden um vier Fl. bewilligt Sigismundus Heusener. Opera Brentii gebunden Basilius Ringeben. Zu dieser Stiftung bewilligt Hans Caspar von Gottsart Opus D. Barnhardi. Der Ambts-Verweser zu Gotha (Friderich Feldner) hat zugesaget das Corpus Juris gebunden zu verschaffen. Thomas Moll will die Opera Augustini verschaffen.

tissimi, regimine tam exiguis erat librorum, qui bibliothecæ scholasticæ nomine designabantur, apparatus, ut paucos in phrontisterii angulo aliquo occuparet forulos; majoris autem formæ quidam codices collectorum in usum REVERENDI MINISTERII ædis Augustinianæ librorum appendix essent. Sine dubio sequentium temporum iniquitas laudabile institutum inhibuit.

VI. Videbatur in fatis esse, ut sub FRIDERICIANO principatu non illustris schola solum nouam celebritatem; sed & eius res libraria publicæ bibliothecæ formam, & modum nanciseretur. Sub eius itaque auspiciatissima exordia decedit B. Georgius Hessus, ob summa de ILLVSTRI GYMNASIO merita dudum ex instituto a me laudatus: qui cum in hereditatis partem vocasset illustris Gymnasi collegas, non solum bibliothecæ suæ, olim satis copiosæ, reliquias; sed & ducentorum florenorum Misericordia foenus ea lege scholasticæ bibliothecæ donauit, ut dimidia eius pars quotannis augendis codicibus impeneretur, pars dimidia altera diuideretur inter eos, quibus curam bibliothecæ augenda mandari voluit. Insignis hæc accessio prouocauit supremorum procerum, & curatorum ILLVSTRIS GYMNASII studium. Deearat autem litterariæ supellecili aptum armarium: illorum mox cura, & suffragatione effectum est, ut SERENISSIMI NVTRITORIS auspiciis peculiare huic assignaretur conclaue. Huius vix quartam partem occupabat, quicquid librorum cum Hessianæ bibliothecæ reliquiis scholastica tunc bibliotheca dicebatur: & tertio tamen praesentis seculi anno libris impletum est vniuersum; idque præcipuo SERENISSIMI PATRIS PATRIÆ beneficio. Lustrabatur bibliotheca palatina, notabantur codicum exempla multiplicata, relicebantur a forulis, ut locus esset aliis, quæ desiderarentur, monumentis, ac venum exponebantur: intercedunt ILLVSTRIS GYMNASII collegæ, rogant, ut scholastica bibliothecæ ille apparatus adiiciatur; idque ab inusitata SERENISSIMI NVTRITORIS clementia facile impetrant. Plus quam sexcentos formæ maximæ codices tunc accepimus: vnde intelligi potest, quantus minoris formæ librorum numerus scholastica bibliotheca tunc accesserit? Principalis beneficentia magnitudo ut intelligi vulgo posset, peculiaris tunc edita est scriptio, qua & beneficium commemorabatur, & multiplicata per tantam accessionem nostræ etiam supellecili exempla venum exponenda designabantur. Paullo post Fergianus, & Thumsfirianus librorum apparatus redimitur ab heredibus, additurq; bibliothecæ palatinæ: in quo dum magnus codicum, quos dudum illa habuit, reperitur numerus, certatim ille a studiosis litterarum hominibus expetitur, & non contempnenda pro iis offeruntur pretia. At vero SERENISSIMI PATRIS PATRIÆ indulgentiam submississime implorando impetramus, ut nechæc scholastica

(1) Nachdem auch für uns kommen, wie anno 1596. etliche Bücher zu Vermehrung unsers Gymnasi zu Gotha Bibliothec bewilligt, und von etlichen zu leisten noch hinterständig, als wollest dich dessen erkundigen, was und mehr dergleichen noch zu verschaffen schuldig, uns dasselbe zu gebuhrender Anordnung und Leitung zu erkennen geben. Datum Coburg, den IX. Decembr. MD^oCXVI.

Iasticæ bibliothecæ accessio denegetur. Occupauit ista alterum conclave: cuius vacuos forulos impleuit, quicquid codicum non ita pridem, cum & Feustkingiana bibliotheca conserta fuisse palatinæ, & multiplicata isto pacto denuo librorum exempla publice venderentur, bibliothecæ nostræ clementissime est concessum, nec non, quicquid superiore anno fatis sunt, insignis polyhistoris GOTHANI, GÆS, MAESTATIS, & DVCVM SAX. CONSILIARII, B. IOANNIS FRIDERICIBREITHAVPTII, ex bibliotheca, ab heredibus eius redempta, bibliothecæ nostræ est adiectum. Taceo alios egregios codices, recens præsertim editos, qui hoc temporum tractu publica ILLVSTRIS GYMNASII pecunia emti, & bibliothecæ scholasticæ sunt inserti.

Et hoc singulari SERENISSIMI PATRIS PATRIÆ prouidentiæ debemus, quod non deficit pecunia, qua necessaria subsidia litteraria redimi subinde possunt. Confluens sub FRIDERICI ANI imperii umbram, & ad Gothanam pietatis, & litterarum officinam frequens, & copiosa iuuentus dudum paullo post auditum, quantum quisque velit, nummorum ad augendam bibliothecam solet conferre. Ac ne servili modo tergo expietur, si quid aduersus disciplinæ leges fuerit admisum, exdem leges mulctas delinquentibus imperant. In quibus colligendis, dispensandisque quamdiu integre, & incorrupte verfabuntur ILLVSTRIS GTMNASI collegæ, quod sub IVSTO PRINCIPÆ vt necesse, ita fas, & pium est: non facile deerunt ad conseruandam, augendamque scholasticam bibliothecam subsidia; nec SERENISSIMI PATRIS PATRÆ deerit ad tribuendas plures accessiones gratia, & fauor. Ne autem, quod a tanto fauore est profectum, & summa fide custoditum, rectiorum studiorum præsidium publicum iniuria temporum disipetur, vel fraude, & perfidia hominum intercipiatur, quam primum rite ordinata, & disposita erit supellex vniuersa, cauebitur catalogo librorum scholasticæ bibliothecæ omnium typis exscribendo. Interim, qui coram spectare velint singulare PRINCIPALIS BENEFICIENTIAE documentum, autam bibliothecam scholasticam, patebunt illis impleta codicibus conclaui, dum ad audiendos declamatores confluent: quod propter instituti pietatem frequenter fieri fas est. Spectato vel hoc FRIDERIC ANI regiminis fructu accendi possunt boni quique ad pia vota pro publica, & PRINCIPIS salute, & pluribus talibus natalibus impensis cum oratoribus nuncupanda. Persequentur hi, quæ nuper inchoata est, dicendi materiam, & ita dicent de rebibliothecaria, vt ostendat

primus,

curam rei bibliothecariæ necessariam esse ad ciuilis imperii ordinem conseruandum: alter,
eandem rebus humanis salutarem quidem esse; sed priuatum censem operare:

postremus,

dignam eam esse principibus, & rerum publicarum gubernatoribus. Idem Teutonicus carmine representabit SERENISSIMI PATRIS PATRIÆ merita in rem litterariam, nec non gloriam, & pramia, quæ talia principum studia solent consequi.

* * *

VD18

X 342 1982

M.C.

Farbkarte #13

B.I.G.

Black	3/Color	White	Magenta	Red	Yellow	Cyan	Blue	Green	Yellow	Red	Magenta	White	3/Color	Black
8														
7														
6														
5														
4														
3														
2														
1														
0														
Inches														
1														
2														
3														
4														
5														
6														
7														
8														
9														
10														
11														
12														
13														
14														
15														
16														
17														
18														
19														
20														

ERENISSIMI RIS PATRIA ENNIA NATALIA

sub finem Iustificationis
IS GYMNASII GOTHANI
piis votis prosecuturi, dicturique
DE
BIBLIOTHECARIA,
S RUDOLPHVS HEYDENREICH,
GOTHANVS,
HEINRICVS FRATZSCHER,
ERFURTENSIS,
R. GUILIELMVS de CACHEDENIER,
ROEMHILDANVS,
ELECTÆ SVPREMI ORDINIS ALVMNI,
i panegyri, ex omni litteratorum ordine,
SSIS PRIMÆ crastino die congreganda, audiantur,
ffe, & obseruantissime rogat, & simul exhibet
S BENEFICENTIÆ DOCUMENTI
SINGVLARIS,
BIBLIOTHECÆ ILLVSTRIS GYMNASII
HISTORIAM
RECTOR,
HOFREDVS VOCKERODT.

THÆ XII. AVGUSTI CIC 1790.
LITTERIS REYHERIANIS.



Y b
1747

6525